

- Cur timeam dubitemue locum defendere, quamuis
 natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrae
 arguerint, licet ipse negem? Sed quinque tabernae 105
 quadringenta parant. Quid confert purpura maior
 optandum, si Laurenti custodit in agro
 conductas Coruinus oues, ego possideo plus
 Pallante et Licinis? » Expectent ergo tribuni,
 uincant diuitiae, sacro ne cedat honori 110
 nuper in hanc urbem pedibus qui uenerat albis,
 quandoquidem inter nos sanctissima diuitarum
 maiestas, etsi funesta pecunia templo
 nondum habitat, nullas nummorum ereximus aras,
 ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus, 115
 quaeque salutato crepitat Concordia nido.
 Sed cum summus honor finito computet anno,
 sportula quid referat, quantum rationibus addat,
 quid facient comites quibus hinc toga, calceus hinc est
 et panis fumusque domi? Densissima centum 120
 quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
 languida uel praegnas et circumducitur uxor.
 Hic petit absenti nota iam callidus arte
 ostendens uacuam et clausam pro coniuge sellam.
 « Galla mea est, inquit, citius dimitte. Moraris? 125
 profer, Galla, caput. Noli uexare, quiescit. »
 Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum :
 sportula, deinde forum iurisque peritus Apollo
 atque triumphales, inter quas ausus habere
 nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches, 130